

carceribus ecclesiasticis ad correctionem usque ad novum ordinem. Ead. sac. congr. Immun. in Sarzan., 20 Septemb. 1667, lib. I. decr. Altov., p. 162.

(4. Datur facultas extrahendi clericos incorrigibiles et vitæ scandalosæ, et retinendi in carceribus ad correctionem. Eadem sac. congr. Immun. in Lycien., 18 Junii 1669, lib. I. decr. Altov., pag. 368; in Lauretana, 2 Martii 1677, lib. II. decret. Altov., pag.

## INDIA, INDI.

## SUMMARIUM.

Statuta aliqua SS. Pontificum pro Indiarum regionibus.

(1. In Indiarum regionibus Hispaniæ regi subjectis permittitur esus carniū diebus Sabbati per annum Bened. XIV, tom. I. Const. 128, incip. *Jampridem*. (2. Indos Paraquariæ, et Brasiliæ in servitutem redigere prohibetur. Id. Const. 36, incip. *Immensa*.

(3. In Indiis maris Oceani S. Pius V indulserat ut animarum cura a regularibus exerceretur independenter ab ordinariis. Idem tom. II, Const. 1, incip. *Quamvis ad confirmandum*. Idque a Gregorio XIV confir-

## INDIGNUS PRO PRÆLATURIS.

Vide verb. ABBATISSA n. 49, et verb. ELECTIO, art. 4, n. 40 et seq.

## INDULGENTIA.

## SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Indulgentia quoad ea quæ concernunt ejus naturam, antiquitatem, et divisionem.*

1. Indulgentiæ nomen quod a verbo *indulgeo* derivatur, sumitur duobus præcipue modis, qui assignantur. — 2. Indulgentia quid sit. — 3. Indulgentiæ descriptio explicatur. — 4. Datur thesaurus ecclesiasticus, et describitur. — 5. Thesaurus Ecclesiæ constat ex meritis et satisfactionibus Christi infinitis, et ex meritis B. Mariæ Virginis, et omnium sanctorum. — 6. Thesaurus Ecclesiæ ubi repositus sit et existat. — 7. Indulgentiarum usus est antiquissimus. — 8. Indulgentia dividitur in plenariam et partialem, et quæ sit utraq. — 9. Indulgentia plena, plenior et plenissima, quoad effectum non differunt. — 10. Potest tamen inter ipsas notari aliquid discrimen, si non quoad effectum, saltem quoad specialia privilegia et annexas facultates. — 11. Quid intelligatur per indulgentiam concessam instar jubilæi, in forma jubilæi et per modum jubilæi. — 12. Indulgentia partialis quid sit. — 13. Indulgentia partialis, alia vocatur Quarena, Quadragesima, Quarantena; alia vocatur Septena. Alia vocatur Carena, et quid per ipsas omnes intelligatur. — 14. Alia vocatur centum dierum, centum annorum, mille annorum, centum mille annorum, biscentum mille, seu trecentum mille annorum, et hujusmodi. — 15. Alia vocatur indulgentia tertie, vel quartæ partis peccatorum, et quid sit. — 16. Indulgentia partialis concessa cum plenaria quomodo debeat intelligi. — 17. Indulgentia, alia est perpetua, alia temporalis, et alia indefinita, et qualis sit quælibet. — 18. Indulgentia insuper, alia est localis, alia realis, et alia personalis, et qualis sit quælibet. — 19. Afferuntur aliqua notanda circa indulgentiam localem. — 20. Afferuntur aliqua notanda circa indulgentiam realem.

1337; in Asculana, 31 Aug. 1677, ibi, pag. 149; in Terracinen., 13 August. 1678, ibi, pag. 1627.

(3. Sacerdos vulnerans propriam concubinam et dans signa incorrigibilitatis extrahitur cum facultate sacræ congregat., et retinetur in carceribus ad correctionem. Ead. sac. congr. Immun. in Bituntina, 11 Jul. 1666, lib. decr. Altov., pag. 1276.

Alia, vide verb. *Ejecti*, per tot.

matum fuit. Idem, ibid., sed non constat privilegium executioni demandatum fuisse. Idem, ibid. (4. Innocentius autem X illud declaravit procedere in locis in quibus esset defectus parochorum. Idem ibidem.

(5. In Indiis regulares ad curam animarum non admittuntur, nisi cum examine et approbatione episcoporum. Idem, ibid. (6. In Indiis tam Orientalibus quam Occidentalibus, servari jubentur decreta Concilii Tridentini de jurisdictione episcoporum in omnes animarum curam exercentes. Idem, ibid.

ARTICULUS II. — *Indulgentia quoad ea quæ concernunt auctoritatem eam concedendi, personas quæ possunt eam concedere et lucrari, et requisita ad ipsam.*

1. Est de fidè dari in Ecclesia Catholica auctoritatem concedendi indulgentias. — 2. Summus Pontifex potest de jure divino concedere quibusvis fidelibus indulgentias, tum plenarias tum partiales, tum perpetuas, tum temporales, tum locales, reales, et personales. — 3. Papa potest concedere tales indulgentias, etiam ante suam consecrationem. — 4. Papa solus potest concedere quibusvis fidelibus, sive vivis, sive defunctis, quælibet indulgentias. Nec id potest sine Papa concilium Generale. — 5. Inferiores Papa, ut cardinales, legati, nuntii, patriarchæ, primates, archiepiscopi, episcopi, non habent potestatem concedendi indulgentias jure divino, sed solum ecclesiastico. — 6. Supradicti inferiores Papa habent limitatam facultatem concedendi indulgentias. — 7. Assignantur indulgentiæ quas possunt concedere episcopi. — 8. Tales indulgentias possunt concedere etiam in perpetuum. — 9. Tales indulgentias possunt episcopi concedere etiam non consecrati aut ordinati, dummodo sint electi et confirmati. — 10. Episcopi possunt concedere indulgentias pro suis tantum subditis, licet extra diocesium existentibus, et tantum per modum absolutionis, adeoque solis vivis. — 11. Episcopi possunt concedere indulgentias etiam religiosis et locis exemptis. — 12. Episcopi possunt facultatem concedendi indulgentias aliis delegare non solum sacerdotibus, sed etiam clericis. — 13. Hanc tamen facultatem non possunt episcopi delegare laicis. — 14. Episcopi excommunicati, denunciati, seu vitandi, non possunt indulgentias concedere. — 15. Episcopi valide concedunt indulgentias, quamvis in peccato mortali existant. — 16. Archiepiscopi, primates, et patriarchæ possunt in suis diocesium indulgentias quas concedere possunt Episcopi in suis, et insuper in tota sua provincia. — 17. Et quidem id possunt etiam

extra tempus visitationis. — 18. Etiam si tales indulgentiæ fuerint jam concessæ a suis respective episcopis, possunt adhuc similes conferre archiepiscopi, seu primates, et patriarchæ. — 19. Imo, secundum multos, archiepiscopi, primates, et patriarchæ possunt concedere indulg. 80. dierum, ubi epis. solum 40. — 20. Episcopi seu archiepiscopi coadjutores nequeunt per se concedere indulgentias. — 21. Neque eas concedere possunt episc. seu archiepisc. titulares. — 22. Nuntii et legati apostolici quas indulg. concedere possunt. — 23. Cardinales quas indulgentias concedere possunt. — 24. Summus penitentiarius quas indulgentias concedere possit. — 25. Si supradicti inferiores non obstantibus indulgentias excedentes facultatem sibi competentem, licet tales indulgentiæ non valeant quoad excessum, valent tamen quoad partem non excedentem. — 26. Prelati episcopo inferiores nequeunt concedere indulgentias jure proprio et ordinario. — 27. Prelati regulares nequeunt jure proprio et ordinario concedere indulgentias suis subditis. — 28. Possunt tamen jure delegato et ex speciali concessione. — 29. Vicarius generalis de jure sine speciali commissione non potest indulgentias concedere. — 30. Capitulum, seu vicarius capitularis, Sede vacante, nequit indulgentias concedere. — 31. Solus Papa potest concedere indulg. pro defunctis applicandas. — 32. Non potest tamen Papa tot et tantas concedere indulgentias defunctis applicandas, ut totum purgatorium evacuet. — 33. Ut valide concedatur indulgentia etiam a Papa, requiritur ultra legitimam potestatem, etiam justa et rationabilis causa. — 34. Imo causa concedendi indulgentiam non solum debet esse justa et rationabilis, sed etiam spectatis omnibus circumstantiis proportionata. — 35. In aliquibus circumstantiis sufficit una causa pro concedenda indulgentia, quæ non sufficisset in alia. — 36. Si causa non sit sufficiens pro indulgentia plenaria, erit saltem sufficiens pro non plenaria, etc. — 37. Indulgentias lucrari possunt omnes baptizati rationis capaces et debitores pœnarum temporalium. — 38. Catechumeni tam vivi quam defuncti, secundum multos, sunt capaces indulgentiarum saltem per modum suffragii. — 39. Alii tamen sustinent contrarium. — 40. Indulgentias lucrari possunt etiam qui illas concesserunt. — 41. Assignantur conditiones requisitæ ad lucrandas indulgentias. — 42 ad 44. Alia conditiones pro lucrandis indulgentiis. — 45 et 46. Indulgentia plenaria in certos dies concessa semel duntaxat in die lucrari potest. — 47. Addendum est hoc aliud decretum ejusd. sac. congr. in declarationem præced. emanatum. — 48 et 49. Decreta Clementis XIV et Pii VI.

ARTICULUS III. — *Indulgentia quoad ea quæ concernunt ejus effectus et tempus acquirendi, tam pro vivis quam pro defunctis.*

1. Effectus indulgentiæ non est remittere peccatum. — 2. Effectus indulgentiæ est remissio pœnæ temporalis ex peccatis quoad culpam dimissis, residuæ et restantis. — 3. Pœna temporalis relicta et restans ex peccatis condonatis luenda ab homine, est duplex, et assignatur. — 4. Indulgentiæ plenariæ effectus est remittere omnem pœnam debitam in foro sacramentali, seu liberari totaliter penitentem ab obligatione implendi quamlibet penitentiam etiam medicinalem sibi impositam a confessario. — 5. Afferuntur probationes. — 6. Afferuntur, et solvitur instantia. — 7. Afferuntur, et solvitur alia instantia. — 8. In praxi decet quod confessarius imponat penitentiam saltem medicinalem et præservativam, et eam penitens admittat. — 9. Indulgentiæ plenariæ effectus est etiam remittere omnem pœnam debitam foro Dei. — 10. Afferuntur et solvitur instantia. — 11. Hactenus dicta de effectu indulgentiæ plenariæ sunt proportionaliter et suo modo applicanda etiam indulgentiæ partiali. — 12. Effectus cujuscumque

indulgentiæ non est remittere pœnam debitam pro peccato veniali nondum remisso. — 13. Indulgentiæ possunt a Summo Pontifice concedi et applicari etiam defunctis in purgatorio detentis. — 14. Solum tamen per modum suffragii, seu piæ solutionis, et exhibitæ satisfactionis. — 15. Quomodo differat indulgentia per modum absolutionis ab indulgentia per modum suffragii. — 16. Indulgentiæ pro defunctis rite concessæ et acquisitæ secundum ordinariam Dei legem prosunt certo et infallibiliter illis determinatis animabus quibus applicantur. — 17. Afferuntur rationes. — 18. Afferuntur et solvitur instantia. — 19. Afferuntur et solvitur alia instantia. — 20. Plures animæ remanent adhuc in purgatorio non obstantibus indulgentiis plenariis pro ipsis applicatis et a Deo acceptatis, quia descenderunt in purgatorium cum peccatis venialibus nondum quoad culpam dimissis. — 21. Ut quis lucretur indulgentias pro defunctis non requiritur quod sit in gratia. — 22. Aliqui sentiunt contrarium. — 23. Indulgentia concessa pro vivis non potest etiam defunctis applicari nisi in concessione exprimat. — 24. Sic etiam indulgentia concessa per Papam alicui capellæ pro defunctis non extenditur ad vivos. — 25. Indulgentia concessa per Papam, ut possit quis eam lucrari pro se vel pro defunctis, non potest applicari pro se et defunctis simul. — 26. Indulgentiæ effectus potest sæpius obtineri, si sæpius opus injunctum peragatur, quando indulgentia est perpetua, et absque temporis determinatione concessa. — 27. Secus autem est dicendum quando indulgentia est concessa pro tempore determinato. — 28. Uno et eodem opere nequeunt diversæ et plures indulgentiæ obtineri, nisi forsitan illæ essent per modum. — 29. Sic cum visitantibus certam ecclesiam conceduntur, v. g. indulgentiæ omnium ecclesiarum Urbis, possunt omnes illæ indulgentiæ obtineri unica sola visitatione. — 30. Per unicam solam confessionem et communionem potest quis lucrari plures indulgentias eodem die diversis ecclesiis concessas. — 31. Imo idem dicendum est, licet secunda indulgentia non eodem die sed sequenti vel intra debitam distantiam occurrat, dummodo perseveret in statu gratiæ. — 32. Quantum se extendat ly, vel intra debitam distantiam. — 33. Quando Papa concedit indulgentiam vere penitentibus et confessis, non est necessarium ad acquirendam talem indulgentiam facere confessionem die vel tempore quo indulgentia est lucrificanda, sed satis est quod sint in gratia. — 34. Imo neque requiritur confessio venialium, nisi in concessione indulgentiæ expresse requiratur confessio etiam de solis venialibus. — 35. Est autem necessaria confessio actualis, nec sufficit contritio ad lucrandam indulgentiam, quando in bulla concedente indulgentiam requiritur confessio et lucraturus indulgentiam habet peccatum mortale. — 36. Quando vero in concessione indulgentiæ non expresse præscribitur confessio, sufficit ut lucraturus indulgentiam sit in gratia sanctificante per contritionem perfectam. — 37. Tempus lucrandi indulgentias in festis (nisi aliud in bulla concessionis caveatur) communiter nunc incipit a primis vespers usque ad occasum solis sequentis diei. — 38. Per primas vespers quale tempus intelligatur in festis extra Quadragesimam. — 39. Et quale intelligatur in festis intra Quadragesimam. — 40. In feriis et non festis diebus, tam in Quadragesima quam extra Quadragesimam tempus lucrandi indulgentias incipit a nocte intempesta usque ad alteram noctem intempesta. — 41. Per solis occasum quale tempus intelligatur. — 42. Quando in brevi indulgentiarum ponitur hæc clausula *Præsentibus ad septennium tantum valituris*, hoc septennium incipit currere non a die publicationis, sed a die datæ brevis Romæ. — 43. Quando in brevi ponitur clausula *Præsentibus ad septem annos proximos, seu ad septennium proximum valituris*, debet inter ipsos annos computari et nume-

rari etiam annus jubilei, si intra id temporis occurrat; secus autem si dicatur simpliciter ad septennium seu ad septem annos. — 44. Clausula in brevi solita apponi, dummodo in ecclesia tot missæ quotidie celebrentur, quomodo debeat intelligi, ad n. 45. — 46. Clausula: *Votum autem ut si alias Christi-fidelibus dictam ecclesiam visitantibus aliqua alia indulgentia perpetua vel ad tempus nondum elapsam duratura concessa fuerit, præsentis litteræ nullæ sint*, quomodo debeat intelligi. *Remissive*. — 47. Missæ celebrata de festo corrente in altaribus privilegiatis, in diebus quibus non licet missas de requiem celebrare, habent eandem vim et easdem indulgentias perinde ac si essent celebrata missæ de requiem seu defunctorum. — 48. Translato festo in cuius die conceditur indulgentia, non transfertur etiam ipsa indulgentia, nisi ex concessione speciali. — 49. Indulgentia tandiu durat quandiu vult qui eam concessit. — 50. Indulgentia simpliciter et absolute concessa seu sine appositione determinati temporis durat perpetuo. — 51. Nec perit indulgentia morte concedentis, nisi in ipsa concessione ponatur explicite vel implicite iste terminus. — 52. Indulgentia concessa usque ad beneplacitum concedentis non est perpetua, sed perit morte ipsius concedentis. — 53. Indulgentia autem concessa ad beneplacitum Sedis Apostolicæ aut interim dum Sedes Apostolica voluerit, non expirat morte Papæ concedentis. — 54. Indulgentia non cessat, quamvis cesset causa propter quam concessa fuit.

ARTICULUS IV. — *Indulgentia quoad ea quæ concernunt indulgentias revocatas et apocryphas, aliasque non tales, de stationibus Urbis ac variis declarationibus.*

1. Omnis indulgentia potest revocari a suo concedente, vel ejus successore, aut superiore, antequam suum sortiatum effectum. — 2. Ad hoc, ut indulgentia censetur revocata, debet sufficienter promulgari ejus revocatio. — 3. Quando revocantur indulgentiæ alicujus ecclesiæ aut ordinis, non censentur revocatae indulgentiæ alteri loco aut ordini instar earum concessæ. — 4. Imo, revocatis indulgentiis omnibus

## ARTICULUS I.

*Indulgentia quoad ea quæ concernunt ejus naturam, antiquitatem, et divisionem.*

(1. Indulgentiæ nomen, quod a verbo *indulgeo* derivatur, sumitur duobus præcipue modis. Primo sumitur pro lenitate seu condescendentia, ut I ad Corinth. 7: « Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. » Secundo, sumitur pro remissione, ut Isaïæ cap. LXI: « Prædicare captivis indulgentiam, » quæ verba in Evangelio S. Lucæ, c. IV, sic referuntur: « Prædicare captivis remissionem. » (2. Hinc indulgentia recte describitur quod sit « remissio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus quoad culpam jam remissis, facta extra sacramentum ab habente facultatem, per applicationem thesauri ecclesiastici. » Est in re *communis*. (3. Dicitur primo: « Remissio pœnæ temporalis, » quia per indulgentiam non remittitur culpa, sed pœna tantum temporalis restans in hac vita, vel in purgatorio luenda. Unde, quando in forma seu concessione Indulgentiæ, dicitur per illam concedi remissionem peccatorum, accipitur peccatum pro pœna peccati, juxta illud II Machab., 12, « Ut a peccatis solvantur, » et quando vocatur indulgentia a pœna et culpa, intelligitur quod per talem indulgentiam conceditur facultas absolventi a culpa

quæ alicui ecclesiæ sunt concessæ, non censentur revocatae illæ quas habet unum alterumve illius ecclesiæ altare privilegiatum. — 5. Assignantur indulgentiæ revocatae a S. Pio V. — 6. Assignantur indulgentiæ revocatae a Paulo V. — 7. Afferitur ad hoc integra ejus constitutio alias indulgentias concedens. — 8. Assignantur variæ indulgentiæ quæ non censentur revocatae a Paulo V. — 9. Fratres Minores de corpore Observantiæ lucrantur indulgentiam plenariam obeundo spiritualia exercitia solum per octo dies. — 10. Regulares infirmitate, aut itinere, aut undequaque vere impediti, nec possunt ecclesiam propriam adire ad recitandas preces injunctas pro consecutione cujuscuque indulgentiæ, possunt illas ubi libet recitare. — 11. Provinciales Societatis Jesu alique prælati regulares in actu visitationis conventuum largiuntur indulgentiam plenariam etiam absque comprecatione seu institutione 40 horarum. — 12. Regulares, non obstante revocatione facta a Paulo V, possunt consequi omnes indulgentias quas consequi possunt sæculares. — 13. Indulgentiæ ipsis regularibus concessæ et a Paulo V revocatae non sunt censendæ hodie revalidatæ. — 14. Innocentius XI plurimas indulgentias, ut falsas, confictas, apocryphasque declaravit. — 15. Afferitur ad hoc per extensum decretum. — 16. Regulares per visitationem suarum respective ecclesiarum possunt lucrari omnes indulgentias stationum Urbis. — 17. Assignantur et afferuntur indulgentiæ stationum Urbis. — 18. Indulgentiæ stationum nequeunt applicari defunctis nisi ab habentibus bullam Cruciatæ, item nisi indulgentiæ stationum expresse sint concessæ pro defunctis. — 19 ad 31. Indulgentiæ stationum unde dictæ.

ARTICULUS V. — *Indulgentia quoad ea quæ concernunt indulgentias concessas tribus SS. ordinibus S. P. N. Francisci eorumque ecclesiis, benefactoribus, et confraternitati Chordioerorum.*

ARTICULUS VI. — *Indulgentia quoad ea quæ concernunt varias indulgentias concessas omnibus Christianis fidelibus.*

etiam reservata, ut notant Lezana, tom. III, verb. *Indulgentia*; Raynaldus, in Scapulari, part. II, q. 5, n. 1; Gobat, in Quinario, tract. 4, c. 2, n. 17, et alii. Has tamen indulgentias a pœna et culpa esse apocryphas, etiamsi agatur de solis venialibus, autumat Bened. XIV, leg. 3, de Synodo, c. 18, n. 7.

Secundo, dicitur: « Debitæ pro peccatis actualibus, » etc., quia peccatum originale ejusque pœna remittitur per baptismum. Dicitur 3: « Facta extra sacramentum ab habente facultatem, » quia concessio indulgentiarum est actus jurisdictionis ecclesiasticæ (non ordinis) in foro externo competens Papæ plenarie, et aliis partialiter. Dicitur 4: « Per applicationem thesauri ecclesiastici, » ut ostendatur istam remissionem non esse omnino gratuitam, sed habere annexam solutionem pœnæ æquivalentem.

(4. Dari autem in Ecclesia Catholica thesaurum ecclesiasticum, spirituales, satisfactorium, qui nihil aliud est quam « maximus quidam et inexhaustibilis cumulus meritorum et satisfactionum quæ a Christo Domino ejusque vivis membris superfuerunt, et in acceptance memoriaque divina servantur et in utilitatem Eccles. membrorum erogari possunt per legitimam indulgentiarum concessionem, » tenent omnes catholici, atque patet, tum ex perpetua traditione ac sensu Ecclæ-

siæ, tum ex concilio Tridentino session. 25, in decreto de Indulgentiis; tum ex extravaganant. *Unigenitus*, de penitentis et remissionibus, inter communes, ubi sic expresse habetur: « Unigenitus Dei Filius de sinu Patris in uterum dignatus est descendere Matris, in qua et ex qua nostræ mortalitatis substantiam divinitati suæ, in suppositi unitate, ineffabili unione conjunxit, id quod fuit permanens, et quod non erat assumens, ut haberet unde hominem lapsum redimeret, et pro eo satisfaceret Deo Patri. Ubi enim venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum sub Lege, natum ex muliere, ut eos qui sub Lege erant redimeret, ut adoptionem reciperent filiorum; ipse namque factus nobis a Deo Sapientia, Justitia, Sanctificatio, et redemptio, non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. Non enim corruptilibus auro et argento, sed sui ipsius Agni incontaminati et immaculati pretioso sanguine nos redemit, quem in ara crucis innocens, immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose, velut quoddam profluvium noscitur effudisse; ita ut a planta pedis usque ad verticem capitis, nulla sanitas inveniretur in ipso. Quantum ergo exinde ut nec supervacua, inanis, aut superflua, tantæ effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius Pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt Dei amicitia participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum, non in sudario repositum, non agro absconditum, sed per B. Petrum cœli clavigerum, ejusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum, et propriis et rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter quam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent), vere penitentibus et confessis misericorditer applicandum. Ad cujus quidem thesauri cumulum beatæ Dei Genitricis, omnium electorum a primo justo usque ad ultimum merita, adminiculum præstare noscuntur, de cujus consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi (ut prædictum est) merita quam pro eo quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. »

(5. Unde, ut vides, thesaurus Ecclesiæ constat in primis ex meritis et satisfactionibus Christi, quæ, cum sint valoris infiniti, constituunt thesaurum inexhaustibilem, et ulterius constat ex meritis B. V. Mariæ et

(91) Illud solummodo in controversiam vocari potest, quandonam concedi a Romanis pontificibus cœperint indulgentiæ plenariæ, de quibus mox auctor agat. Ven. card. Thomasius primam indulgentiæ plenariæ concessionem, de qua certo constat, eam esse censuit quam Urbanus II, anno 1095, illis im-

omnium sanctorum. Quamvis enim satisfactiones Christi, utpote infinitæ, de se sufficiant et superabundent ad constituendum Ecclesiæ thesaurum sufficientem et superabundantem pro omnibus, congruum tamen fuit ut ex divina dignatione ad constituendum hunc spirituales Ecclesiæ thesaurum assumerentur etiam merita et satisfactiones sanctorum, ne alioquin eorum merita et satisfactiones quoad vim satisfactoriam a Deo irremunerata remaneant, et ut per hoc magis elucescat perfecta unio sanctorum cum Christo, capite suo, et in corpore mystico Ecclesiæ perfecta servetur *Communio sanctorum*. Nam corpus mysticum Ecclesiæ non solum constat Christo tanquam capite, sed etiam sanctis, tanquam nobilissimis membris, juxta illud Apostoli ad Romanos XII. « Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. » (6. The-saurus autem hic, cum sit mere spiritualis, non reperitur repositus, sicut alii thesauri, in aliquo loco materiali hujus mundi, sed existit duntaxat in mente seu memoria divina, in quantum ante oculos Dei merita et satisfactiones superabundantes Christi et sanctorum nondum oblivioni sunt traditæ, sed adhuc vivunt et vigent, donec aliis indigentibus Ecclesiæ membris opportune communicentur, et sic, quantum fieri potest, remunerentur.

(7. Indulgentiarum usus non est noviter ab Ecclesia inductus, ut prætendunt hæretici, sed est in Ecclesia Catholica antiquissimus. Multi enim sacri interpretes et theologo-gi apud Henric., de Sac. Pœnit., disp. 4, q. 7, n. 44, docent S. Paulum II ad Corinth., II, dedisse incestuoso jam penitenti indulgentias, dum ait: « Nam et ego quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi, » et esse antiquissimum usum indulgentiarum in Ecclesia Catholica tradit expresse Tridentinum, sess. 25, in decreto de Indulgentiis, ubi loquens de facultate conferendi indulgentias concessas a Christo Ecclesiæ, docet, quod « antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit. » Et de facto plures antiquissimos summos pontifices concessisse indulgentias referunt ex probatis auctoribus Bellarminus lib. I de Indulgent., cap. 3; Kilianus Kazenberger, in supplemento Theologiæ Patritii, Sporer, cap. 3, de Indulgent., num. 5, et alii passim (91).

(8. Indulgentia dividitur in plenariam et non plenariam seu partialem. *Communis*, textu expresso in cit. et adducta supra n. 4, extravagant. *Unigenitus Dei Filius*, de Pœnitent. et Remission. Indulgentia plenaria est illa quæ remittit totam pœnam temporalem ex peccatis omnibus quoad culpam jam dimissis restantem et debitam. *Est in re comm.* (9. Circa hanc indulgentiam plenariam aliqui distinguunt inter indulgentiam plenam,

pertitus est qui ad recuperandam Terram Sanctam militaturi religionis causa sese conferrent. Verum alia apud Schelestraten. et Amortium monumenta exstant quæ Urbano II antiquiorem produnt hujusmodi concessionem. Vide Benedictum XIV, de Syn. Dioces., lib. XIII, cap. 18, n. 6. (EDIT. BAR.)